



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

Tabula Contradictionum Lutheri 36. super vno articulo, de communione  
Eucharistiae, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

TABVLA CONTRADI-  
CTIONVM LVTHERI XXXVI.  
super vno articulo, De com-  
munionē Eucharistiæ, per  
Gasparum Querhame-  
rum, Ciuem Valen-  
sem in Saxonia  
Laicum.

*Paulus. 2. Timo. 3.*

Insipientia eorum manifesta erit omnibus.

REVERENDISSIMO IN  
Christo Patri ac dño. D. Io. Matthæo  
Giberto, Episcopo Veronēsi, &c.  
Ioannes Cochlæus S. P. D.

**R**everendiss. Pater ac Domine, olim Africā  
ca Romam nova monstra mittebat, mul-  
ta serpentum genera: Hoc autem infelici  
tempore Germania, inclyta Rom. Impe-  
rij custos & assertrix, nova quotidie monstra parit,  
serpentes ignitos, qui populū Dei nefarie perimunt, non  
modo morte temporali per seditiones & novarū rerum  
studia, verumetiam morte perenni per hæreses & schis-  
mata. Eiusmodi serpentum apud nos parens primus est  
Martinus Lutherus, in quem viperea soboles non rarò  
consurgit, ut erosis visceribus eius nova subinde ena-



featur secta, alia super aliam. Nec mirum. Ipse enim  
 monstrosa variatione opinionum suarum ansam dedit  
 rebellionibus & inquietis animis ad diuersas sectas ex-  
 cogitandas. Ego ante annos sex, dum de celebrando Con-  
 cilio, & fama & spes esset, septicipitem edidi Lutherū,  
 in diuersis capitulis & rerum argumētis, unde possint  
 viri docti Germanicæ linguæ ignari, in Concilio ex di-  
 uersis nationibus in unum congregati, propius inspicere  
 certiusque cognoscere, qualis sit nouus iste Germaniæ  
 Apostolus, Ecclesiastēsque & Euangelista. Nuper  
 verò suscitauit Dominus aduersus eum spiritum Laici  
 cuiusdam Vallis in Saxonia, qui taurum istum cornu-  
 petam ita prostrauit, ac proprio ipsius gladio iugulauit,  
 ut neque Goliath ille Philistæus magis prostratus à Da-  
 uid, nec duorum senum libido & calumnia aduersus  
 Susannam certius aut apertius à Daniele conuicta vi-  
 deri queat. Vnde miserrimè confusus ille, nunc omnibus  
 cordatis ac eruditis hominibus ludibrio est & despectui.  
 Qui antea volebat videri Leo insuperabilis, omnibusque  
 terribilis. Sic enim scribebat sub titulo de abroganda  
 Missa, Leo rugiet, quis non timebit? Quomodo verò ti-  
 meant eum docti Theologi, cui sic vellicat barbam, fron-  
 tēque ferit, ac confundit simplex laicus? Ut igitur vi-  
 deant externi fœdam hanc Lutheri confusionem, ex  
 Teuthonico in Latinū trāsferre, nominique tuo clariss.  
 nuncupare libuit laici nostri tabulam, in qua illum va-  
 frē suis depingit coloribus. Quod ut R. D. T. boni con-  
 sulat, etiā atque etiam oro ac supplico. Bene vale Præ-  
 sul pietate ac eruditione ornatissime. Ex Dresda  
 XIII. Calend. April. M. D. XXXV.



Tabula. Cunctis, qui à Luthero  
seduci nolunt, utilis, &  
necessaria:

*a Aduersus  
falso dictum  
Statū eccle-  
siasticū. a 1.*

**a** **L**Vtherus, qui iactitat se certum esse, quòd Christus nominet ipsum Euangelistam, & pro tali habeat. Item, Qui iactitat Christum esse magistrum doctrinæ suæ. Item, Qui iactitat doctrinam suam merum & purum esse Euangelium Christi, Cuius Christus ipse testis futurus sit in nouissimo die.

*b Cōtra Hē-  
ricum Regē  
Angliæ. a 4*

**b** Item, Qui iactitat se certū esse, quòd doctrinam suam de coelo habeat.

*c Ibidem  
b ij*

**c** Item, Qui iactitat se certissimum esse (in superlatiuo enim loquitur) quòd doctrina sua non sit sua, sed Christi. Itē, quòd doctrina sua non possit sibi ipsi contraria esse, cum sit doctrina Christi.

*d Contra  
eundē in teu-  
thonico. b 1*

**d** Item, Qui propter certitudinē suā iactitat se dolere, quòd Vvormaciæ vsque adeò se coram Cæsare humiliauerit, ut voluerit admittere iudices super doctrinam suam, atque audire an quispiā vllum sibi posset indicare errorem. Et qui ait se tam stultam humilitatem non debuisse exhibere.



e Item, Qui propter certitudinē suā, doctrinam suam à nemine, ne ab Angelis quidem, vult iudicari. Item, qui omnibus denegat salutem, quicumque doctrinam ipsius non reciperent. Item, qui iactitat iudicium suum esse iudicium Dei.

e *Aduersi  
sus falso di-  
ctum Statu  
Ecclesiasti-  
cum. a ij.*

f Item, Qui cunctis hominibus ac demonibus duellum offert, num doctrinā suam euertere possint. Item, qui omnes inferno adiudicat, quicumque aliter docent quā ipse docuit. Item, qui obligat se ad perpetuò permanendum in doctrina sua. In summa, Lutherus, qui doctrinam suam vsque ad eò sublimiter iactitat, vt excogitare non possim, quōnā modo eam sublimius iactitare queat. Idem, ipse iactabundus Lutherus, docet ac scribit xxxvj. Contrarietates, super vno articulo, nempe super Communionē vnius aut vtriusque speciei, Summatim aut in effectu, vt sequitur.

f *In respō-  
sione Tea-  
thonica, cō-  
tra librum  
aegis An-  
glia. a iiij.*



CONTRARIETATES XXXVI. LUTHERI.

- In sermo. de digna præpara. cordis.* 1 Semel. quòd super obedientiam Ecclesiæ accedendum sit ad venerabile Sacramentum.  
S.7.
- Vbi supra* 2 Semel. quòd teneamur, super præceptum Ecclesiæ, ad Sacramentum accedere.
- Ibidem.* 3 Semel. quòd super fidem alicuius cogniti Christiani aut Ecclesiæ accedendum sit.
- Ibidem.* 4 Semel. quòd Ecclesia Christi præcipiat, vt accedatur ad Sacramentum.
- Ibidem* 5 Semel. q̄ ille dignè accedat, qui super præceptum iustum & obedientiam Ecclesiæ accedit.
- Ibidem* 6 Semel. q̄ Deus obedientiam, quæ in accipiendo venerabili sacramento exhibetur Ecclesiæ, accipiat perinde ac si ipsimet exhiberetur.
- In sermo. de venerabili sacramento.* 7 Semel. q̄ non sit necessarium populo Sacramentum sub vtraque specie porrigere, sed satis esse, sub vna.  
A.2.
- In declara. sermonis.* 8 Semel. q̄ nemini debeat porrigi vtraque species, nisi prius à Generali Concilio Christiano ita constitutum ac mandatum sit.



DE COMMVNIONE.

- 1 Alia vice. quòd hoc fieri non debeat. *In ser. vlti. postilla, par- tis hyema- lis.*
- 2 Alia vice. quòd ad hoc non simus obligati. *Vbi supra.*
- 3 Alia vice. quòd hoc non sit faciendum. *Ibide*
- 4 Alia vice. quòd hoc Diabolus per Papam *Ibidem* exercuerit atque effecerit.
- 5 Alia vice. q̄ omnes illi peccent, qui pro- *In manife- pter præceptum accedunt. statione Antichri- sti. y 2*
- 6 Alia vice. q̄ mundus plenus peccatis fa- *In supradi- ctus sit, ex eo, quòd propter præceptum acce- vlti. sermo. serint homines ad Sacramentum. postilla.*
- 7 Alia vice. q̄ sic necessarium sit vtramque *Ibidem. Et ad Lipsen.* speciem accipere, sicut necessarium est, confi- teri Christum. Et quòd corpus & substantia propter hoc impendi debeat.
- 8 Alia vice. q̄ non debeat expectari Conci- *In formula missandi. Et in li. Fū- celi debeat populo, vel inuito Papa, vtramque damentum & causa art. 16.* speciem dare.



*In sermo. de venerabili sacramento.* 9 Semel. quòd bonum sibi videretur, vt in Generali Concilio constitueretur, quòd omnibus hominibus danda sit vtraque species. Quod proculdubio ita fieri voluit, vt populo tunc vtraque species dari debeat. Alioquin frustra ita optasset, visumque sibi fuisset.

*Decap. Baio.* 10 Semel. q̄ ij contra Christum non peccant, qui vna duntaxat specie Sacramenti vtuntur.

*Ad schedulam inhibitionis sub nomine episcopi Misn.* 11 Semel. Æquum esse censet, eique benè placet, vt laicis vna tantum species detur.

*In sermo. de no. test. S. 33.* 12 Semel. q̄ non multum referat, Laicis alteram speciem, vtpote vini, ademptam esse.

*In declara. sermo. de corpore Christi.* 13 Semel. q̄ ordinatio, vt laicis vna tantum species detur, non noceat.

*Ad nobilitatem Germanicam.* 14 Semel. q̄ Bohemi benignè informari debeant, neutram partem esse erroneam: Siue sub vna, siue sub vtraque specie sacramentum sumatur.

*In asser. ar. si. & in ca. Baby. x 3.* 15 Semel. q̄ propter vtamque speciem non debeat resisti Papæ, neque accipi debeat per vim.



- 9 Alia vice. quòd hoc amplecti non debeāt homines, etiam si in Concilio aliquo ita constitueretur. *In formula Missandi.*
- 10 Alia vice. quòd bona conscientia, nō possit vna species accipi. *In consolatione ad nos Hallenses. a vlt.*
- 11 Alia vice. quòd altera species minimè pro æquo habenda, sed velut iniqua punienda sit. *In visitatione, & in informatione ad quendam amicū.*
- 12 Alia vice, quòd adeo multū refert, vt per hoc plurimus populus longo tēpore in abyssum inferni deperditus sit. *In formula missandi. d. 1.*
- 13 Alia vice. quòd adeo multum noceat, vt per hoc plurimus populus &c. Sicut iam supra dictum est. *Vbi supra.*
- 14 Alia vice. quòd altera tantū species simpliciter non debeat iustificari, sed velut iniqua reprehendi. *In visitatione & in informatione ad bonū amicū.*
- 15 Alia vice, quòd inuito Papa, debeat vtraque species porrigi, & propter idipsum accipi debeat, quia ille prohibuit, & quia resistitur. *In asser. ar. 16. & in sermone vlt. postilla hys malis.*



*In declaratione sermonis, & de utraque specie sacra.* 16 Semel. q̄ propter charitatem vna species accipi possit.

*De utraque specie sacra. C 4.* 17 Semel. Quomodo secura reddi debeat cōscientia, quando vna species accipitur, ita q̄ absque periculo id fieri possit: Nempe quando in eum locum ventum fuerit, vbi vna tantum species datur.

*In declaratione sermonis.* 18 Semel. q̄ Bohemi in hoc sint iniusti, quia non volunt in vna specie contenti esse, neque Potestati obediūt, & vniuersalem Ecclesiam non sequuntur.

*De utraque specie sacramenti. C 4.* 19 Semel. q̄ vna species accipi debeat, quando venit in eum locum vbi tantum vna datur. Et quòd in hoc casu nihil singulare incipi, aut contra communitatem agi debeat, & hoc in nomine & ex cōmissione Iesu Christi.

*In declaratione serm. de hoc sacramento.* 20 Semel. quòd Christus non præceperit, vt vnusquisque hoc sacramentum accipiat. Et quòd propterea non solum vna species, sed & omnino nulla accipi p̄possit.

*De utraque specie sacramenti. A 4.* 21 Semel quòd Christiani liberi sint, ad seruandam institutionem Christi circa sacramentum corporis & sanguinis sui, quocunque modo voluerint, hoc est, sub vna aut sub vtraque specie.



- 16 Alia vice. quòd propter charitatem fieri non debeat. *In informatione ad bonum amicum. E 2.*
- 17 Alia vice. quòd istud bona cum conscientia fieri non possit. *In consolatione ad nos Hallenses. A ult.*
- 18 Alia vice. quòd in hoc sint omnium optimi sectatores Euangelij. Et rogat eos, vt in sententia sua persistant. Atque ita neque Potestatem neque Ecclesiam sequantur. *In asser. ar. 16.*
- 19 Alia vice. quòd omni studio ab vna specie deterret, dicens: quis possit bona cū conscientia vnam speciem accipere, & non tremere ac terreri illo verbo Christi, si alteram speciem omittat? *In consolatione ad nos Hallenses. A ult.*
- 20 Alia vice. q̄ Christus præceperit, commiserit & iusserit accipere hoc Sacramentum, ita vt ab omnibus & singulis accipi debeat. *In magno Catechismo. Et in formula missandi. D 1.*
- 21 Alia vice. q̄ in nullius Creaturæ potestate situm sit, mutare, abolere aut aliter vsurpare institutionem Christi de vtraque specie. *Aduersus regē Angliæ. C 3. Et in Sermone de no. test. S. 34.*



*In sermo. de  
digna præ-  
para. cordis.  
S. viij.* 22 Semel. quòd homo, ad Sacramentum ac-  
cessurus, Christo dicere debeat. Domine Ie-  
su Christe, quomodocunque mecum res ha-  
beat, necessarium est vt Ecclesiæ tuæ obediã,  
quæ iubet me ad sacramentum accedere. In  
ea obedientia nunc venio, etiam si nihil aliud  
habeo quod simul afferam.

*In cap. Ba-  
by. b 3. Et  
in assertione  
arti. 16.* 23 Semel. quòd per verba Christi, à Paulo  
descripta, Quotiescunque feceritis &c. non  
præcipiatur, Sacramentum sumere, sed relin-  
quatur in vniuscuiusque libero arbitrio.

*In supradi-  
cta declara.  
Et in capti.  
Baby. b 3.* 24 Semel. q̄ etsi pulchrum esset, vtrâque spe-  
ciem dare, attamen non sit præceptum, ad fa-  
ciendum necessariò. Et q̄ propter susceptio-  
nem specierum Sacramenti possit fieri cõcor-  
dia, an scilicet sub vna an sub vtraque dari  
debeat &c.

*Ad sche-  
dulã inhibi.  
sub nomine  
Episcopi  
Misnen.  
Et ad nobi-  
litate Ger-  
manicam.* 25 Semel. q̄ Christus totus ac totaliter, & nõ  
particulatim aut diuissim, sit sub qualibet spe-  
cie, tam panis quàm vini. Rogat item vehe-  
menter, vt hoc credatur.

*Ibidem* 26 Semel. Obnixè rogat, vt Concilia sequa-  
mur, vbi Laicis vnã dandã esse speciem  
decernunt.

Alia



22 Alia vice, quòd homo apud seipsum dicere debeat, En accessurus sum ad Sacramētum, non quòd per hoc velim opus bonū aut meritum aliquod facere. Neque item propter præceptum aut obedientiam Papæ aut Ecclesiæ, &c.

*In exhortatione ad sacramentum. D. 3.*

23 Alia vice, quòd verba illa eiusmodi libertatem non dent, sed iniungant homini, vt scilicet ad Sacramentum accedat.

*In maiori Catechismo in materia de Eucharistia.*

24 Alia vice, quòd altera species, directè & omnino sit contra expressa verba Dei, & cōtra Sacram scripturam.

*In informatione ad quendam articulum.*

25 Alia vice. Loquitur admodum dubiè de hoc, & Concomitantiam valdè scurriliter irridet: per quam Theologi illud comprobant.

*Vbi supra. G. 4. & 4i*

26 Alia vice. Ab hoc dehortatur omni cum diligentia, quemadmodum libri eius fermè ubique testantur, & facta eius omnibus patent. Quare locum vllum indicare superuacaneum est.



CONTRARIETATES XXXVI. LUTHERI.

*In Casaris* 27 Semel. quòd Christiani propterea dam-  
*Edictũ c. i.* nati non sint, sed bene excusabiles, licet sub  
*Et de missa* Papa alteram tantum speciem susceperint.  
*angulari.*

*n. i.* 28 Semel. quòd Ecclesia Christi alteram speciem det atque instituat.  
*In sermo. de*  
*venerabili*  
*sacramento.*

*In declara.* 29 Semel. quòd vtraque species non sit præ-  
*sermonis.* cepta.

*In Casaris* 30 Semel. quòd Ecclesia passa sit atque per-  
*Edictũ. c. i.* miserit, vt altera specie priuaretur. Quod abs-  
 que scitu eius fieri non potuerit.

*De vtraque* 31 Semel. quòd vna species accipi debeat, si  
*specie. c. 4.* quis veniat ad eum locum vbi vna dumtaxat  
 species datur. Et id quidem docet (quemad-  
 modum eo in libro gloriatur) ex mandato  
 Christi.

*In assertio-* 32 Semel. quòd neutra species de necessita-  
*te. artic. 16.* te accipiatur.



- 27 Alia vice. Quòd per hoc pereant, & in abyssum inferni damnentur. *De formula missa. D. 1. Et in Caesaris Edictu. c. 1.*
- 28 Alia vice. quòd Ecclesia Christi hoc non faciat, aut fecerit vnquam, sed Ecclesiastici Tyranni, Diaboli magisterio, id fecerint. *In Caesaris Edictu. c. 1. Et de formula missa D. 1.*
- 29 Alia vice. Non vult, vt id ipsum Papistæ dicere possint. *In Caesaris Edictu. c. 2.*
- 30 Alia vice. Et in eodem loco, q̄ in hoc decepta sit, Quod absque scitu eius factum fuisse oporteret. *Ibidem.*
- 31 Alia vice. quòd confitendum sit, non esse Euangelicum, vnã accipere speciem. Cùm tamen possibile non sit, vt Christus mandet docere, aut vllus Euangelista (quemadmodum ipse iactitat quòd Christus eum sic nominet ac pro tali habeat) ad verum & purum Euangelium aliquid ascribere, quod Euangelicum non sit. *Ibidem.*
- 32 Alia vice. quòd ij negent Christum, quicumque non petunt vtranque speciem. Cùm tamen credibile non sit, vt oporteat nos id petere, sub pœna negandi Christum, quod factum necessarium non est. *Ibidem.*



CONTRARIETATES XXXVI. LVTHERI.

*In declara.  
serm. de Eu-  
charistia.*

33 Semel. Rogat Romanos & Bohemos, ut à suo sensu obstinato desistant, & inuicē concordent, siue ad vnam, siue ad vtranque speciem, dummodo in pace & vnitare fiat.

*Ibidem.*

34 Semel. quòd neutra in parte hæresis sit, siue sub vna, siue sub vtraque specie Sacramentum accipiatur.

*Vbi supra.*

35 Semel. quòd Bohemi sint schismatici & Ecclesiæ desertores, eò quòd Sacramentum sub vtraque specie accipiunt.

*Vvormacia  
gorã Casare*

36 Semel. quòd nihil nisi errare nouerit.



33 Alia vice. Rogat Bohemos per Christum dominum nostrum, vt omnino in sensu suo permaneant, & Romanum Tyrannum atque Antichristum nihil omnino animaduertant. *In assertione Teutho-art. 16.*

34 Alia vice. Criminatur Papam & omnes ei scienter adhærentes, quòd propter vnâ speciem hæreticos excommunicat &c. Cùm tamen nemo sit hæreticus, nisi doceat ac teneat temerè vllam hæresim. *Vbi supra*

35 Alia vice. quòd propter hoc nequaquam sint schismatici aut desertores, sed optimi imitatores Euangelij, quales vsquam in terra habentur. *Vbi supra*

36 Alia vice. quòd verū permanere debeat, quicquid ipse scribit & docet, etiam si totus mundus per hoc dirumperetur. *In epistola de duro libello in fine.*

R. iiij



SENTENTIÆ IUDICIALES

Sententiæ quædam iudiciales, quas Lutherus cōtra seipsum, & contra doctrinam suam tulit. Oportet enim vt & contra ipsum sit iustum quicquid ipse contra alios pro iure habet.

*In super Christianū, super spiritalē, ac super artificiale librum Emseri. b. 1.* 1 **S**I semel deprehenderer ita mentitus, falsus & crasse stolidus, iam tota mea doctrina & honor, fides & fidelitas finem penitus haberet. Vnusquisque me pro nequam & infami nebulone (vt æquum est) habiturus esset.

*In Assertio. Teutho. ar. 25.* 2 **Q**ui semel mentitur, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.

*De Cena Christo. K. 3.* 3 **Q**uando Suermeri in vno articulo manifestè falsi deprehenderentur, per hoc essemus nos sufficienter à Deo admoniti, ne eis crederemus.

*Aduersus rege Angliæ. in Teuthonico. A. 3.* 4 **Q**uis credat, eum vllò in loco verum dicere, qui tam manifestè ac impudenter hoc in loco mentitur? Indicium sanè est, quòd libellum istum propter mendacia inceperit.

*In asser. ar. 25.* 5 **I**n nullo alio loco quicquam vobis credi-



mus, donec mendacium hoc blasphemiam-  
que istam emaculetis. Dico enim vos sus-  
pectos esse in omnibus aliis articulis, qui semel  
in tam crassa temeritate falsificandi verbum  
Dei deprehensi estis.

6 Quandoquidem te hinc in articulo principa-  
li falsum deprehendi, non eris fide vlla dignus,  
quo ad mendacium istud extergatur.

*In super  
Christianū,  
super spiri-  
tualem, &c.*

*F 3.*

7 Mendacia certius dinoscere non potes, ni-  
si quando sibi met ipsius cōtraria sunt. A Deo  
enim ita ordinatū est, vt impij semper seip-  
sos confundant. Et quod mendacia non con-  
sent, sed semper contra semetipsa testen-  
tur:

*De votis mo-  
nasticis. L 3*

8 Quilibet hæreticus à spiritualibus veris su-  
per mendacio deprehenditur, quod contra  
seipsum loquitur.

*In annota-  
tionibus ad  
Dut. ca. 23.*

*In Summa. Lutherus nulli Doctorum vult  
credere, idque propterea, quod aliquando in  
vita sua peccauerunt, in doctrina sua errave-  
runt, & neque secum, neque cum aliis semper  
concordant. Nisi id dicant quod ei placeat, aut  
nisi doctrinam suam per scripturas iuxta eius  
beneplacitum comprobent. Si ergo id iuris ipse  
habere debeat, non potest profecto neque scit  
vllam rationabilem causam indicare, cur non*



possit idem ius aduersus ipsum quoque exerceri. Quandoquidem manifestum est & luce clarius patet, quòd ipse in vita sua sepe peccauit, in doctrina sua sepe neque secum, neque cum aliis Doctoribus concordat.

*Hæc Casparus Querhamer, Laicus & Ciuis Vallensis in Saxonia.*

Septem contraria Capita Lutheri de vtraque specie,  
Ex libro Septicipite  
D. Cochlei.

DOCTOR.

*In serm. de I* Quamquam nunc populo non datur quoti-  
*Encharist.* tidie vtraque species, sicut olim, neque est  
neceffe: decept tamẽ vtranq; omni die ordo  
sacerdotalis coram populo. Et satis est, quod  
populus quotidie desideret, & tempore suo  
vnam speciem accipiat, quantum Ecclesia Ca-  
tholica ordinat ac præbet.

MARTINVS.

*In declara. 2* Non dixi, neque consului, nec est inten-  
*serm. eiusdẽ.* tio mea, vt vnus aut aliquot Episcopi pro-  
pria authoritate incipiant, alicui vtranque



speciem porrigere. Nisi ita institueretur ac  
præciperetur in aliquo generali Concilio.

### L V T H E R V S.

3 Quamquam Romana Tyrannis perfe- *De cap. Ba-*  
ctum Sacramentum nobis abstulit, non pec- *bylonica.*  
cant tamen, qui vna specie vtuntur. Quan-  
doquidem Christus non præcepit vlla vti, sed  
permisit in vniuscuiusque libero arbitrio, di-  
cens. Quotiescumque feceritis, in mei me-  
moriam facietis.

### E C C L E S I A S T E S.

4 Alteram speciem, nempe vini, penitus ab- *In serm. de*  
stulerunt nobis, quamuis non multum referat, *nouo Testa.*  
quia plus in verbis quam in signis situm est.  
Vellem tamen libenter scire, quisnam pote-  
statem eis dederit id faciendi.

### V I S I T A T O R.

5 Parochos & concionatores informauimus, *In visi. Sa-*  
vt eiusmodi doctrinam Euangelij instan- *xonica.*  
ter ac liberè doceant coram quibuslibet, siue  
sint firmi aut pertinaces. Et nullo pacto alte-  
ram tantum speciem iustificent, sed reprehend-  
ant velut iniquam. Non dico autem, vt ali-  
quis ad fidem cogi, aut à sua infidelitate man-  
datis ac vi depelli debeat.



S V E R M E R V S.

*Ad nobilitate German.*

6 Nolo cōsulere, vt cogatur Bohemi ad abolendam vtrāq; speciē, cū non sit hoc vel impium vel hæreticum. Veruntamen, vt Episcopus eorum nouus prouideat, ne discordia propter eiusmodi ritū exoriat, sed benignè eos instruat ac doceat, neutrum esse errorem. Quemadmodum discordiam facere non debet, quòd sacerdotes aliter vestiti incedunt quàm laici.

B A R R A B A S.

*De formula Missandi.*

7 Nos habemus ius Christi, & Concilia neque expectare, neque audire volumus. Imò adhuc plus dicimus. Si quod Concilium statueret aut permetteret vtranque speciem: Nos nequaquam vtraque vti velimus, sed in despectum Concilij eiusque statuti, aut vna aut neutra, & minimè vtraque, vti vellemus, maledicturi vniuersos, qui ex potestate aut statuto Concilij vtraque specie vterentur.



Sententiæ Dei ex sacra scri-  
ptura contra Lutheri  
inconstantiam.

- 1 *David.* Confusi sunt, quoniã Deus spreuit *Psal. 52.*  
eos.
- 2 *Salomon.* Impius facit opus instabile. *Prou. 15.*
- 3 *Esaias.* Ve qui spernis, nõne & ipse sper- *Esa. 33.*  
neris?
- 4 *Christus.* Si Ecclesiã non audit, sit tibi sicut *Matt. 18.*  
Ethnicus & publicanus.  
Item, Ex ore tuo te iudicio serue *Luc. 19.*  
nequam.
- 5 *Paulus.* Hæreticus homo subuersus est & *Ad Tit. 30.*  
delinquit, cùm sit proprio iu-  
dicio condemnatus.
- 6 *Petrus.* In epistolis Pauli, Charissimi fra- *2. Pet. 30.*  
tris nostri, sunt quẽdam diffi-  
cilia intellectu, quæ indocti & in-  
stabiles deprauant, sicut & cæ-  
teras scripturas, ad suam ipso-  
rum perditionem.
- 7 *Iacobus.* Vir duplex animo, inconstans est *Iaco. 1.*  
in omnibus viis suis.